



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

135. An, & qualiter ex statuto vel dispensatione Episcopali talia duo difformia sub eodem tecto simul haberi possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

& Achill. de Grassi apud Gonz. *gl. 10. n. 39.* incompatibilem esse dignitatem cum Canonatu in eadem Ecclesia; & sic decum esse à Rotâ in *Lucana beneficiorum*, 4. Novemb. 1579. Archiepiscopatum cum sit dignitas etiam sine præbenda esse incompatibilem sub eodem tecto restatur Garc. *n. 232.* ubi etiam dicit hanc sententiam esse communiorum per Nav. Contrarium, nempe solum jure prohiberi esse habere duo uniformia, tenent Abb. *conf. 926. vol. 2. dub. 2. n. 1. Felin. in c. ex parte. de concess. præb. n. 30. Lap. alleg. 116. n. 5. Rebuff. in pr. tit. de non promotis intra annum. n. 76.* apud eundem Azor, qui dicit hanc sententiam probabilem. Item Castrop. *loc. cit. n. 6.* cum hac tamen limitatione, si sint simplicia, & singula non sufficiant congrua sustentationi. Item *n. 7.* cum ista limitatione, ut etiam istorum insufficientium esse non possint plura in eadem Ecclesia quam duo; cum triplicem esse in Ecclesia una, ipso jure prohibeatur, & absque Papæ dispensatione id fieri nequit juxta *gl. fin. in Clem. fin. de præb. item apud Gonz. loc. cit. n. 35. Nav. conf. 16 de præb. ubi, quod beneficia debeant esse uniformia ad hoc, ut sit locus incompatibilitati ratione ejusdem tecti, & conf. 21. tit. eod. ubi quod de jure communi permittatur haberi simul dignitatem & Canonatum in eadem Ecclesia Cathedrali aut Collegiata. & conf. 24. eodem tit. n. 4. & 6. apud Garc. n. 237.* ubi, quod de jure communi duo beneficia difformia ejusdem Ecclesie sibi aliqui non repugnantia propter onera utrique incumbentia eodem tempore non sint incompatibilia, etiam quoad retentionem; quia non facit ea incompatibilia necessitas residendi; nam, cum consistant in eadem Ecclesia, potest quis in utroque residere regulariter, ut in dignitate vel Canonatu. Eandem sententiam videri sibi veriore de jure, eod quod non sit textus aliquis, ex quo contrarium probetur, ait Garc. *loc. cit. n. 237.* quamvis idem Garc. *n. 254.* dicat ex eo, quod dari non solet dignitas Canonico; nec Canonico habenti dignitatem nisi cum narrativa, quod dignitas per unum ex ipsis Ecclesie Canonicis, etiam cum illius Canonico, & præbenda absque dispensatione Apostolica obtineri consuevit, stylos habere videatur, dignitatem cum Canonatu in eadem Ecclesia esse incompatibilem de jure, nec posse obtineri absque dispensatione, seclusa consuetudine. Tenet eandem, & communiorum asserit Pasfil. *3. q. 1. n. 128.* ubi etiam pro exemplo difformium ponit beneficium simplex (intellige præstimonium absque omni onere) & Capellaniam habentem onus celebrandi. Eandem tanquam veriore & communiorum tenet expressè Gonz. *gl. 10. n. 41.* adeoque quantum quoad hoc, ut ait *n. 43.* teneri simul posse sub eodem tecto Rectoriam cum Capellaniam, aut præstimonio, aut alio simplice. Item unam Capellaniam unius Capellæ & Congregationis cum aliam Capellaniam diversæ Capellæ & Congregationis seu muneris: sub hac tamen limitatione hæc tenet Gonz. *cit. n. 41. & 42.* modò illa difformia non sint talia, ut utrumque requiratur præcisam residentiam ratione tituli, qualia quia hodie ex dispositione Trid. sunt omnes dignitates, Canonatus, præbendæ, seu portiones in Cathedralibus & Collegiatis, vel hoc ipso ait esse incompatibilia, & eorum duo v. g. dignitatem & Canonatum non posse haberi simul, cessante consuetudine vel dispensatione, saltem Episcopi: quæ tamen limitatio displicet; quia ut paulò antè dictum ex Nav. neces-

fitas residendi non potest illa facere incompatibilia, quia dum sita sunt in eadem Ecclesia potest quis in utroque residere regulariter, ut in dignitate & Canonatu; vel certe, ut ait Garc. *cit. n. 137.* si ratione residentie sunt incompatibilia v. g. dignitas cum Canonatu in eadem Ecclesia, non magis ex dispensatione Episcopi simul haberi poterunt, quam difformia duo in Ecclesiis diversis existentia, utpote ob residentiam incompatibilia.

2. Respondeo secundò: posito etiam esse istiusmodi beneficia ejusdem Ecclesie de jure incompatibilia, non tamen videntur esse incompatibilia primigenis, seu vacare ipso jure præhabitu per affectuonem alterius, sed ad summum obtinentem ea cogi posse ad dimitendum alterutrum: ita tenent ex citatis pro primâ sententia Hojeda. Mand. *ll. cit.* & plures alii apud Garc. *n. 231.* & ita decum esse à Rotâ, restatur Achill. de Grassis apud Gonz. *loc. cit. n. 40.*

*Quæstio 135. An, & qualiter ex statuto vel dispensatione Episcopali talia duo difformia sub eodem tecto simul haberi possint?*

1. Respondeo ad primum: si jure id vetitum est haberi istiusmodi duo, non potest per statutum statui contrarium. Garc. *n. 233.* citans Felin. in *c. quod super his de major. & obed. Rochum in c. fin. de consuetud. sect. 3. à n. 7. Bortaux de synodo. p. 3. an. à n. 26.* quamvis, ut subdit Garc. *n. 234.* ad hoc responderi posset, ideo adhuc valere tale statutum, quod illud jus, quo dicuntur incompatibilia, non sit clarum, dum in contrarium sentiunt plures: & sic absolute (nihil dicendo, an hoc verum jure) ait Pirh. *de præb. n. 140.* valere tale statutum.

2. Respondeo ad secundum: si jure id vetitum est, non posse in eo dispensare Episcopum; ita tenent consequenter AA. Prima sententia, & nominatim Mand. Innoc. & *gl. supra citati apud Azor, loc. cit. q. 4.* quamvis tamen velint aliqui, etiam ex illis, ut Achill. de Grassis apud Gonz. *loc. cit. n. 40.* esse incompatibilia ita, ut saltem requiratur dispensatio Episcopi, vel consuetudo. Esic absolute iterum ait Pirh. *loc. cit.* posse in hoc dispensare Episcopum. De cetero absolute concedi posse Auctoritate Episcopi (intellige absque eo, quod proprie dispenser) docent AA. secunda sententia, & nominatim Abb. Lap. Rebuff. apud Azor. *loc. cit.* qui & ipse ibi ait: cum opinio Abbatis in hoc puncto sit probabilis, videtur quoque probabile, auctoritate Episcopi concedi posse, ut quis in eadem Ecclesia simul habeat duo beneficia simplicia difformia.

*Quæstio 136. An, & qualiter valeat consuetudo, ut quis licite retineat talia difformia, v. g. dignitatem cum Canonatu in eadem Ecclesia?*

Respondeo: valere ejusmodi receptam consuetudinem; ita tenent plerique AA. tam citati pro prima, quam pro secunda sententia; & nominatim Azor. *loc. cit. q. 2.* Mandos. *ubi supra* apud Gonz. *loc. cit. n. 39.* Achill. de Grassi. *ibid.* Pirh. *cit. n. 140.* citans *c. eam te. de rescriptis. & c. l. de consuetud. in 6. Garc. n. 248.* dicens, consuetudinem talem non esse periculosam; quidquid dicat Hojeda; cum videatur rationabilis, & introducta, ut obtinentes dignitates decentius sustententur: Et sic, quod dignitas cum Canonatu in eadem Ecclesia, ubi est